

DISSERTATIO III.

De Patribus.

PATRUM nomine designantur, non quilibet Scriptores Ecclesiastici, sed ii soli qui communi Ecclesie consensu habentur, tanquam singulari Dei providentia concessi, ut fidei morumque doctrinam Apostolis acceptam defenderent, puramque ad nos transmitterent: ii autem ab Ecclesie incunabilis ad decimum tertium usque seculum numerantur, quo Theologia Scholastica coepit exordium. Quapropter Sanctus Bernardus tanquam ultimus recenseri solet: S. Bonaventura et S. Thomas saepius Doctores appellantur, quam Patres; non quod aliquibus, scientia, pietate, meritis pares esse non possint, quam comparationem inter sanctos viros non solet instituere Ecclesia; sed propterea quod haec invaluerit consuetudo, ut qui recentiores sunt, et aliam, quam Veterum, secuti sunt tractandae Theologiae methodum, Patrum nomen non obtineant.

Existimant nonnulli, ut aliquis Patris venerando nomine insigniatur, eam requiri pietatis famam et sanctitatem, quae ab ipsa Ecclesia cognita fuerit et probata: quod, licet optandum sit ad tantam appellationem perfecte sustinendam, non tamen prorsus necessarium est ad eam obtinendam. Usu enim contigit ut hoc nomine donarentur Tertullianus, Origines, Eusebius Caesariensis et alii; quorum priora in Ecclesiam merita, posterioris vitae maculis, aut valde imminuta, aut etiam penè deleta sunt: quidquid circa Patrum autoritatem majoris erit momenti quibusdam in propositionibus complectemur.

PROPOSITIO I.

Unanimis Patrum in asserendum aliquod dogma consensus, certissimum est veritatis argumentum.

Probat^{ur} 1°. Quia Patres sunt testes Traditionis, et doctrinae in Ecclesia suis temporibus praedicatae, tanquam ab Apostolis acceptae, quae per eos, quasi purissimos canales, ad nos usque decurrit: cum enim fuerint homines eruditi, Pastores ac Doctores fidelium, Ecclesiae doctrinam ignorare vix potuerunt: cumque fuerint sanctitate conspicui, dici non potest eos Ecclesiae fidem, quam cognoscebant, dissimulasse. Quamobrem, etsi ex iis nonnulli doctrinam Ecclesiae interdum humano errore non cognoverint, impossibile est ut quod omnes uno ore, tanquam fidem Ecclesiae, commendant, ad eam non pertineat.

Prob. 2°. Illorum unanimis consensus fidem certam facit, qui a Deo concessi sunt, ut non simus fluctuantes, nec omni doctrinae vento circumferamur: atqui ex Apostolo, *Deus dedit quosdam quidem Apostolos... alios autem Pastores et Doctores ad consummationem Sanctorum... in aedificationem corporis Christi... ut jam non simus parvuli fluctuantes, et circumferamur omni vento doctrinae.* (Ephes. 4. v. 11. et seq.) Nec dixeris haec verba non nisi de temporibus Apostolicis intelligenda esse: testatur enim Apostolus, Doctores esse a Deo datos ad consummationem Sanctorum, et in aedificationem corporis Christi: atqui haec duo pertinent ad omnia Ecclesiae tempora; ergo, etc.

Prob. 3°. Ex Augustino, Vincentio Lirinensi et Conciliis: *Hoc probavimus, inquit Augustinus, Catholicorum auctoritate sanctorum, ac per hoc non est consequens ut hoc falsum sit.* (Lib. 11. contra Julianum, caput 9.) *Divinitus placuit* (Concilio Ephesino) inquit Vincentius Lirinensis, nihil aliud posteris credendum decernere, nisi quod sacra,

sibique in Christo consentiens sanctorum Patrum tenuisset antiquitas.... Necessè est igitur omnibus Catholicis qui sese Ecclesie Matris legitimos filios probare student, ut sanctæ sanctorum Patrum fidei adglutinentur, immoriantur, profanas profanorum novitates detestentur, horrescant, insectentur, persequantur. (Circà finem secundi Commonitorii.) Nec Ephesina solùm, sed et Chalcedonensis Synodus ita sensit: Hæc est, inquit, fides Patrum, omnes ita credimus. Constantinop. III. act. 12. sic. statuit: Omnino necesse est non solum secundum sensum sequi sanctorum Patrum dogmata; sed iisdem uti vocibus cum illis, nihilque penitus innovare. (Edit. Labb. rom. 6. pag. 917. et 924.) Et infra: Sanctorum Patrum dogmata, tanquam legem sanctæ Dei suscipiunt Ecclesia. Constantinopol. IV. et Œcumenicum VIII. Ut rectam, inquit, regiamque divinæ justitiæ viam, sine erroris offensâ, teneamus, sanctorum Patrum decreta, vult inextinctæ quædam, semperque lucentes faces, sunt sequenda. (Act. 10. Can. 1.)

Porrò illud certissimum est veritatis argumentum, quod falsum esse non potest; cui inhærere quisque debet, ut legitimus sit Ecclesie filius, quo, veluti inconcusso fundamento, sua decreta stabiliunt Concilia; quod, tanquam legem, sanctæ suscipiunt Ecclesie: atqui ex laudatis Patribus et Conciliis, talis est unanimis Patrum autoritas; ergo etc.

PROPOSITIO II.

In sacrarum Litterarum expositione non licet ab unanimi sanctorum Patrum sensu recedere.

Probatur. In exponendis sacris Litteris, vel unanimi Patrum sensui inhærendum est, vel unicuique licitum erit eas pro suo arbitrio interpretari: atqui illud posterius absurdum est. Quis non videat hæc licentiâ vastum Hæreticis omnibus campum aperiri? Nullus enim ferè est Scripturarum locus, qui in diversos

diversos sensus detorqueri non possit; ipsi experti sunt Pseudo-reformati, quot interpretationes, seu potius depravationes apud Socinianos funesta hæc libertas invexerit. Hoc jam pridem observaverat Vincentius Iirinensis: Quia Scripturam sacram, inquit, pro ipsâ suâ altitudine, non uno eodemque sensu, universi accipiunt; sed aliter atque aliter, alius atque alius interpretatur, ut penè quot homines sunt, tot illinc sententiæ erui posse videantur.... idcirco multum necesse est propter tantos tam varii erroris anfractus, ut Prophetica et Apostolica interpretationis linea secundum Ecclesiastici et Catholici sensus normam dirigatur. Ob id magnoperè curandum est ut ..., ab his sensibus nullatenus recedamus, quos sanetos majores ac patres nosiros celebrasse manifestum est. (Paulò post initium primi commonitorii.)

Sapientissimam hæc regulam à variis Conciliis constitutam legimus, et maxime à Trullano, (Can. 19.) Oportet, inquit, eos qui præsent Ecclesiis, Clerum et populum docere, ex divinâ Scripturâ colligentes judicium veritatis, et non transgredientes jam positos terminos, vel divinatorum Patrum Traditionem: sed et si ad Scripturam pertinens controversia aliqua excitata fuerit, ne eam aliter interpretentur, quam quomodo Ecclesie luminaria et Doctores suis scriptis exposuerunt. Non est igitur quod Tridentinam Synodum culpent Heterodoxi, quod prohibuerit ne quis prudentiæ suæ innixus in rebus fidei et morum... Sacram Scripturam... contra unanimum consensum Patrum interpretari audeat. (Sess. 4. decret. de edit. et usu Sacrorum Libror.)

Objic. cum Daillé. Inter Scripta sub Patrum nomine vulgata, alia sunt supposititia; alia genuina quidem, sed in multis interpolata; ergo certum ex illis deduci non potest argumentum.

Resp. 1º. Communem Ecclesie fidem non inquirimus in quibusdam suppositis Patrum scriptis, sed in genuinis, quæ longè majori sunt numero, et à spuris facile secernantur ab eruditis. Illa enim

duntaxat opera alicui Patri adjudicant, quæ illi à coævis Scriptoribus tribuuntur; quæ in antiquioribus et emendationibus manuscriptis ejus nomine inscribuntur; quæ ea dogmata continent et illud scribendi genus referunt; quæ cum aliis ejusdem Patris operibus indubitatis manifestè congruunt.

2°. Loca quæ in Sanctorum Patrum scriptis dicuntur interpolata, paucissima sunt, ac levioris momenti, et ope critices, collatis inter se veteribus manuscriptis, variisque editionibus, emendantur, suæque integritati restituntur.

3°. Si valeat difficultas à Dallæo proposita, ex Veterum scriptis, ut Ciceronis, Virgilio et aliorum, de quorum veritate et sinceritate nemo sanus dubitat, nullum erit quod aliquam sibi vindicare possit autoritatem; sed omnia incerta erunt; siquidem ex illis vix unum reperias, de quo eadem fieri non possit difficultas, quâ Patrum autoritatem evertere nititur Dallæus.

Alias Pseudo-Reformatorem adversus Patrum autoritatem difficultates reperietis diligenter excussas et egregiè dilutas apud Natalem Alexandrum. (*Hist. Eccles. secundi seculi, Dissert. 16.*)

PROPOSITIO I. II.

Unius aut alterius Patris autoritas, non satis firmum subministrat argumentum.

Probatur. Ideo valet Patrum consensus, quia fidem facit rem de qua consentiunt in Traditione contineri, sive esse revelatam; atqui unius aut alterius Patris autoritas, ceteris tacentibus, non satis grave est argumentum, hoc vel illud in Traditione contineri. Depositum quippè Revelationis et Traditionis ad Ecclesiam pertinet; atqui unus aut duo Patres non sufficientes sunt totius Ecclesiæ testes; ergo, etc.

Et certè eorum autoritas satis firmum non parit argumentum, quorum sententiam improbare ac

rejicere licet; atqui unius aut alterius Patris, aliis silentibus, sententiam, etc. teste Augustino: *Neque enim, inquit, quorumlibet disputationes, velut Scripturas canonicas, habere debemus, ut nobis non liceat, salvâ honorificentia quæ illis debetur hominibus, aliquid in eorum scriptis improbare atque respicere, si foris invenerimus, quod aliter senserint, quam veritas habet. Talis ego sum in scriptis aliorum; tales volo esse intellectores meorum.* (*Epist. 148. n. 15.*) Ratio est quod Deus sacris tantum voluminibus, ut ait Augustinus, privilegium nunquam errandi inesse voluerit. Nemo autem, quantumvis eruditus et sanctus, non interdum allucinatur, non alicubi cæcilit, non quandoque labitur; sanctus fuit Cyprianus et tamen credidit iterandum esse Baptismum ab Hæreticis datum; sanctus fuit Irenæus, qui in Millenariorum opinionem descendit.

PROPOSITIO IV.

Plurium Patrum in unum dogma consensus, aliis, licet paucioribus, ex altera parte stantibus, non omninè certum facit argumentum, nisi pauciorum sententiam Ecclesia repronaverit.

Probatur. Tutissimum ex autoritate Patrum deduci non potest argumentum, cum non certò constat utra pars veritatem teneat: atqui cum plures Patres aliquid affirmant, aliis, licet paucioribus, ex adversa parte stantibus, tunc certò non innotescit utri veritatem tueantur: fieri enim potest, ut qui oppositam defendunt sententiam, maxime si doctrinâ et sanctitate fuerint insignes, germanum, aut Scripturæ, aut Traditionis, sensum, quamvis pauciores, feliciter assecuti fuerint; ergo, etc.

Præterea hæc est fidei regula à Vincentio Lirinensi tradita, ab Ecclesiâque approbata, ut quod

ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est, id teneamus. (loco primi Commonitorii jam citato.) Hinc autem sequitur certam fidem non facere testimonium, nisi moraliter unanime fuerit: at qui ubi plures Patres in aliquod dogma consentiunt, dum alii, quamvis pauciores, reclamant, tunc unanime non est testimonium, ergo, etc.

PROPOSITIO V.

Si Patres secum invicem comparentur, non aequalis est singulorum autoritas.

Probat: 1°. enim, ceteris paribus, plurimum tribui debet antiquioribus; nemo quippe negaverit, eò magis puram sinceramque fluere sacram doctrinam, quò suis fontibus, scilicet Apostolis, vicinior est, cujus rei hanc rationem affert Hege-sippus: *Ad hæc usque tempora, (nimirum Trajani, cum Martyr occubuit Simeon Hierosolymarum Episcopus) Ecclesia, Virginis instar, integra atque incorrupta permanserat. . . Sed postquam sacer Apostolorum cætus vario moris genere extinctus est, effluxeratque jam ætas hominum illorum, qui divinam ipsam sapientiam suis auribus auscultare meruerant, tunc exorta est impii erroris conspiratio fraude et malitiâ falsorum Doctorum, qui adulterinam doctrinam obrudere aggressi sunt. (Apud Eusebium, liv. 3. cap. 32.)* Hinc ubi de doctrinâ movetur controversia, priora releguntur tempora; quod eleganter exprimit Cyprianus comparatione adhibita canalis, in quo si defuerit aqua, ad fontem ipsum et originem recurritur. (*Epist. 74. ad Pompelium.*)

Dixi autem *ceteris paribus*; si enim qui antiquior est, vel inferiorem in Ecclesiâ honoris et meritum gradum obtineat, ut antiquissimus Papias, vel minùs ad nonnulla quæ scripsit attendisse videatur, ut Irenæus, dum narrat per mille annos Christum in terris regnaturum; vel audacior, ni-

miùmque sibi fidens, in errores lapsus fuerit, ut Origenes et Tertullianus; tunc licet, vel antiquitate, vel eruditione plures superet, poterit tamen in multis posthaberi.

2°. Eò major est Patris alicujus autoritas, quò majorem adhibuit in scribendo diligentiam; quod præcipuè in his reperitur, qui dedita operâ adversus hæresim aliquam scripsere. Id enim boni singulæ hæreses afferunt, ut tum sacras Scripturas, tum venerandæ Traditionis monumenta studiosius scrutandi occasionem et necessitatem adducant. Quod à se ipso factum testatur Augustinus, in controversia de prædestinatione gratuita Sanctorum; *Hæc est prædestinatio manifesta et certa Sanctorum, quam postea diligentius et operosius, cum jam contra Pelagianos disputarem, defendere necessitas compulit.* Et rursus: *Quid autem coëgit loci Scripturarum, quibus prædestinatio commendata est, copiosius et enucleatius isto nostro labore defendi, nisi quòd Pelagiani dicunt gratiam secundum merita nostra dari?* (*Lib. de dono persever. cap. 20. n. 53.*) Itaque cum agitur de aliquo dogmate, olim ab Hæreticis impugnato, illi Patres, præ ceteris, consulendi sunt et anteferendi, quos ad eas hæreses debellandas Deus singulari beneficio Ecclesiæ suæ concessit: quales sunt Athanasius de Christi Divinitate, Cyrillus de incarnatione, Augustinus de prædestinatione et gratia, etc. Hæc enim dogmata adversus profanas Hæreticorum novitates acerrimè, diligentissimèque propugnârunt.

3°. Æstimatur etiam Patris cujuslibet autoritas ex scientiæ, pietatisque fama, et reverentia quam in Ecclesia obtinet. His titulis Augustinus, à Summis Pontificibus maximè commendatur; *Augustinum, inquit Celestinus Papa, sanctæ recordationis virum, pro vitâ suâ atque meritis, in nostrâ communionem semper habuimus, nec unquam hunc sinistra suspicionis rumor aspersit, quem tantæ scientiæ olim fuisse meminimus, ut inter magistros opi-*

mos, etiam à meis prædecessoribus, haberetur. (Ep. 1. ad Episcopos Galliæ, tom. 2. Conc. Labb. pag. 1612.) Scientia itaque et fama pietatis Augustinum in Ecclesia summoperè commendârunt; idem de reliquis Patribus et scriptoribus, servatâ proportionè, dicendum est.

PROPOSITIO VI.

Quædam sunt regulæ in legendis Patribus adhibendæ.

Probatur. Illarum regularum enumeratione. 1°. Ad sensum magis quam ad corticem verborum attendere oportet. Ratio est quod verba ad eum finem sint instituta, ut cogitationes nostras aliis aperiamus: potius ergo quærendus est sensus internus quem in mente habuit aliquis, dum scriberet, quàm verborum sonus. Hinc illud Juris Canonici effatum: *Non debet aliquis considerare verba, sed voluntatem, cum non intentio verbis, sed verba intentioni debeant inservire.* (Lib. 5. decret. de verb. significat. cap. 15.)

2°. Ut internum illum auctoris sensum assequamur, inquiramus necesse est, quo fine, quo consilio scripserit, quis sit totius operis scopus. Plerique, ait Athanasius, Epist. ad Serapionem, *nec finem nec scopum auctoris attendunt, sed aut ex invidia, aut ex contentionis studio, pro sua jam in mente recepta sententia, arbitrato suo verba accipiunt, et scripta pro libidine detorqueunt.* Hinc Pelagius II: *Sancta Ecclesia, inquit, suorum fidelium corda benignius, quam verba districtius pensat.* (Cap. 21. Ep. ad Episcop. Istriæ, tom. 5. Concil. Labb. pag. 633 et 634.)

Hac methodo Bullus multa Patrum, qui Synodum Nicænam præcesserunt, dicta revocat ad sensum Catholicum; eâdem hæc viâ plurimos sanctorum Doctorum textus Calvinianis, aliisque sectis eripiunt Theologi Catholici.

3°. Postulat æquitas, ut quæ Patres adhibuerunt verba, eo sensu accipiamus, quem ipsis, eo quo scripserunt tempore, usus illigaverat. Cum enim hæc vel illa significatio ex hominum arbitrio et instituto vocibus subjiçitur, fieri potest ut illa pro variis temporibus, vel etiam regionibus, mutetur; quod, nisi caveat lector, nullus erit errandi finis.

4°. Diligenter expendenda sunt, tum quæ antecedunt, tum quæ subsequuntur. Hoc suadet æquitas et sincerum inveniendæ veritatis studium. Nunquam enim genuinum Patrum sensum certò assequemur, ex quibusdam textibus à suo loco avulsis, hæc et illuc per immensa opera dispersis; sed exploranda est tota orationis series, colligenda in unum omnia, et inter se conferenda, sicque demum quò præcipuè conspirent investigandum.

5°. Si quid obscurum et ambiguum reperiatur in Patribus, illud explanare faciliè plerumque erit, si in subsidium vocentur alia loca, in quibus suam mentem clarius exponunt; etiamsi unus tantum occurreret locus perspicuus, ipsius ope potius deberent alia quælibet obscuriora illustrari, quam unus iste ad plura obscuriora detorqueri.

6°. Ut exploratam habeamus Patrum de aliquo dogmate sententiam, ea potissimum interroganda sunt opera, in quibus rem ex professo sibi proponunt excutiendam. Minus enim introspicitur auctoris animus ex locis in quibus obiter, et aliud agendo, vel paucis quæstionem attingit. Si quis, v. g. quæ fuerit Augustini mens de gratiæ naturâ et necessitate, cognoscere voluerit, ea consulat opera quæ post exortas Pelagii et Semi-Pelagianorum Hæreses tanto labore, tantæque industriâ et diligentia elucubravit.

Has regulas præ oculis habeat, qui legendis Patrum scriptis utilem operam dare voluerit. Si quis autem plura hac de re optaverit, adeat Tractatum à D. Bonaventurâ d'Argonne Carthusiano sapienter

elaboratum cui titulus: *Traité de la lecture des SS. Peres.*

Admonitio.

Quantum Theologo necesse sit Patres legere et relegere optimè noverat illustrissimus Bossuet, qui maximam hujus studii utilitatem longo usu expertus fuit. Hinc enim hauserat eam doctrinæ copiam, eam sermonis dignitatem et magnificentiam, quæ suis in operibus elucent. Ad Patrum verò lectionem his verbis hortatur:

Quiconque veut devenir un habile Théologien, qu'il lise et qu'il relise les Peres. S'il trouve dans les Modernes quelquefois plus de minuties, il trouvera très-souvent dans un seul Livre des Peres, plus de principes, plus de cette premiere seve du Christianisme, que dans beaucoup de volumes des interpretes nouveaux: et la substance qu'il y sucera des anciennes traditions, le récompensera très-abondamment de tout le temps qu'il aura donné à cette lecture. Que s'il s'ennuie de trouver des choses qui, pour être moins accommodées à nos courumes et aux erreurs que nous connoissons, peuvent paroître inutiles, qu'il se souviene que dans le temps des Peres, elles ont eu leur effet et qu'elles produisent encore un fruit infini dans ceux qui les étudient; parce qu'après tout, ces grands Hommes sont nourris du froment des Elus, de cette pure substance de la Religion, et que pleins de cet esprit primitif qu'ils ont reçu de plus près et avec plus d'abondance de la source même, souvent ce qui leur échappe, et qui sort naturellement de leur plénitude, est plus nourrissant que ce qui a été médité depuis. (Défense de la Tradition des SS. Peres.)



DISSERTATIO VI.

De Ecclesia.

SI Ecclesiam, tanquam locum Theologicum seduntaxat, spectaremus, satis esset de illius auctoritate disserere, quæ certissimum Theologis suppeditat argumentum; sed nobis satius visum est, integram quandam Ecclesiæ notionem simul oculis subjicere, et præcipuas questiones ad eam pertinentes hic colligere, quam eas partim in hecce Tractatu, partim in aliis disjunctas, nulloque nexu colligatas, exponere. Quidquid autem de Ecclesia dicturi sumus, quinque capitibus complectemur; primum erit de nomine et definitione Ecclesiæ; secundum, de membris; tertium, de notis; quartum, de proprietatibus; quintum, de auctoritate Ecclesiæ.

CAPUT PRIMUM.

De nomine et definitione Ecclesiæ.

ECCLESIAE nomen, juxta vim vocabuli Græci, ex quo derivatur, idem significat ac *Congregatio*. Juxta generalem hanc acceptionem, Ecclesiæ nomen cuilibet hominum, etiam iniquorum, societati competit; quo sensu dicitur: *Odivi Ecclesiam malignantium.* (Psal. 25. v. 5.) Ex communi verò Scripturæ, sanctorumque Patrum consuetudine, usurpatur ad exprimendam fidelium Christianorum societatem. Sic autem accepta subitur.